Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2509

Quelle:
Copyright:

Lat. L. II. p. 214. ideoque perperam eam cum Noſtri Elucidario Summæ *Hoſtienſis* ſeu *Oculo* confudit. Praeluxit illa *Antonini Flor. Andreae Hiſp. Bartholomaei de Chaymis* &c. *Confeſſionalibus*, eſtque hujus initii: *Inprimis debet interrogare ſacerdos penitentem, vtrum ſciat pater noſter, Credo in deum, Aue Maria* &c. Atque ita deinceps exponuntur omnia Hominis Chriſtiani in diverſis Vitae generibus officia, adjunguntur que in fine quaedam e *Summa Raymundi*, ad quorum calcem: *Explicit ſumma Berengarii Epiſcopi Tuſcolanen. per manus Nicolai preſbiteri Anno XXI^mo.*

V. *fol.* 75. *Incipit Benedictio Auri mirre et thuris.* Ita quidem: *Suſcipe ſancte pater a me indigno famulo tuo hec munera* &c. In Exorcismis varia Dei ex Hebraeo, Graecoque corrupta nomina, multaque alia ſuperſtitioſa occurrunt.

VI. *fol.* 78. praemiſſis *Capitum* XLVI. argumentis ſequitur *Hiſtoria trium Regum*, cujus Prologus incipit: *Cum venerandiſſimorum trium magorum ymo verius trium regum glorioſiſſimorum* &c. Opus ipſum: *Patria iſtorum trium regum a propbecya balaam* &c. Commentum iſtud fabulis ſcatens autorem habet *Johannem Hildeſienſem* O. Carm. qui teſte *Tritbemio* in *Script. Eccl. n.* 648. et in *Catal. illuſtr. Germ. fol.* 30. claruit circa an. 1360 — 70. laboremque ſuum *Florentio de Wevelkoven* Ep. *Monaſterien.* dicavit, qui cum an. 1379. ad ſedem *Ultrajectinam* tranſiverit, de Scriptionis tempore conjectura fieri poteſt. Nuncupationem hanc tacet *Codex* noſter; conſtat vero de illa ex editione principe Operis curata per *Joh. Guldenſchaff de Maguncia* 1477. f. quae mihi objacet, e qua cum latinae, tum in alias linguas translatae Editiones complures profectae ſunt Sec. XV. quarum Catalogum texere non foret difficile. Ad finem Exempli noſtri habes: *Explicit Anno Domini M°.* (400) *XI°. et ſabbato ante feſtum Marie Magdalene.*

VII. *fol.* 138. *Incipit tractatus ſuper miſſam magiſtri Hainrici de Haſſia.* Initium: *Quam breuis fuerit miſſa et verbis et ceremonijs quando chriſtus celebrando ſacramentum eukariſtie inſtituit* &c. Iam indicatus pluries.

VIII. *fol.* 154. p. 2. *Incipiunt Decem precepta ſecundum quod b. Auguſtinus ea expoſuit.* Initium: *Sapiens eſt, qui ſcit dampnum ſuum precauere* &c. Simpliculus Compilator ab *Auguſtino* fibi autoritatem quaerens mox in expoſitione *Praecepti* I. fabulam narrat de *Rana* lagenam vini veneno inficiente, *que contigit in VII. caſtris in vna ciuitate que Hermanni villa* (Hermannſtadt) *nuncupatur, temporibus beati Auguſtini.* Adſcriptus eſt *Modus abſolucionis excommunicacionis diebus Dominicis IIII. temporum in ambone ſuper populum.*

IX. *fol.* 169. p. 2. Collectanea quaedam breviora. 1°. *Caſus qui in celebratione miſſe poſſunt accidere.* Prout habentur in multis Miſſalibus antiquioribus. 2°. *E Legenda vndecim milium virginum,*